





E. 25. num. 39.

~~1779~~ 58

27

EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

VTRVM DONATIO INTER  
VIRVM ET VXOREM FACTA IVRA-  
MENTO ACCEDENTE SIT VALIDA

CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLESIAE CATHEDR. MERSEB. CAPITVL CVRIAE

IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE NEC NON FACVLTV. IVRID.

SENIORE ET ACADEM. DECENVIR.

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXVI. APR. MDCCLXXVII.


PVBlice DEFENDET

IOANNES GOTTLIEB ZIMMERMANN

NOSSENA MISN.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.



P. 396.



EXERCITATIO IURIDICA

QUESTIOMEM

UTRUM DONATIO INTER  
VIRVM ET VXORVM FACTA IURA  
MENTO ACCEDENTE SIT VALIDA

CONTINENS

QUA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRASIDE

D. ERID. GOTTLIB. ZOLLERO

COND. ET ACCURAT. CATHED. MESSER. CAESAR. CVRIAE  
IN REGIMINE SVBSTITVTORVM IURIS  
PRAESIDENTIS

IN AVCTORIO ICTORVM

A. G. KEIL. AN. MDCCCLXXV.

SVBICE DEPENDIT

IOHANNES GOTTLIB. ZIMMERMANN

HOESNA NER.

LIBRARI

ET CVLLINA GOTTLIB.





§. I. Quamuis inter coniuges contractus, pacta, aliaque negotia non prohibeantur, sed ex legum dispositione effectum et valorem consequantur, donatio tamen inter coniuges iure civili ita est interdicta, ut ipso iure non valeat quicquid donationis causa inter coniuges agitur, quod sua auctoritate confirmat Ulpianus l. 3. §. 10. ff. de Donat. inter vir. et vxor. Sciendum autem est, inquit, ita interdictam inter virum et uxorem donationem, ut ipso iure nihil valeat quod actum est; proinde si corpus sit, quod donatur, nec traditio quicquam valet, et si stipulanti promissum sit, vel accepto latum, nihil valet, ipso enim iure



Quamuis inter coniuges contractus, pacta, aliaque negotia non prohibeantur, sed ex legum dispositione effectum et valorem consequantur, donatio tamen inter coniuges iure civili ita est interdicta, ut ipso iure non valeat quicquid donationis causa inter coniuges agitur, quod sua auctoritate confirmat Ulpianus l. 3. §. 10. ff. de Donat. inter vir. et vxor. Sciendum autem est, inquit, ita interdictam inter virum et uxorem donationem, ut ipso iure nihil valeat quod actum est; proinde si corpus sit, quod donatur, nec traditio quicquam valet, et si stipulanti promissum sit, vel accepto latum, nihil valet, ipso enim iure



re, quae inter virum et uxorem donationis causa geruntur, nullius momenti sunt. Hac ex causa distinguit Imperator l. 7. §. 6. inter venditionem et donationem, et effectum, quem illi tribuit suo rescripto, donationi penitus denegat, cuius verba adicere fas erit: *Si tibi maritus pignora propter dotem et pecuniam creditam data, non donationis causa vendidit, quod bona fide gestum est, manebit verum: ast si titulus donationis quaesitus ostenditur, atque ideo venditionem irritam esse constabit, iure publico causam pignorum integram obtinebis.* Veraque lex probat donationem ipso iure esse nullam, i. e. ab initio non subsistere, nec dominium, quamvis accedat traditio in donatariam transire, potius lege §. 18. m. b. r. Si res donata extat, vindicatur, si consumpta est, condicitur, quatenus locupletior, quis coniugum factus est. Quotiescunque enim in negotio, quod celebrant coniuges, animus donandi liquido apparet, vel praesumi potest, toties negotium vel in totum, vel pro ea parte, pro qua concurrat donatio inualidum fit; qua propter eum maritus animum vendendi haberet, ex pretio uxori remisit, venditio quidem valet, ast remissio uxori facta effectu caret. l. 5. §. 5. π. b. i.

§ II

Variae sunt exceptiones, quae contra regulam fieri solent, et quae cum partim opinionibus, quibus usus fori accedit, sint confirmatae, id efficiunt, ut titulus, quem in Pandectis de hac materia legimus, ferme abolitus et penitus inutilis esse videatur, frustraneumque suscipiat laborem, qui auctoritatem huius prohibitionis

bitionis, quam veteres Icti utilitatis publicae causa constituerunt, defendere audeat. Sed cum non sit animus, in praesenti omnes exceptiones in compendiis iuris recensitas, inquirere, et eatum perscrutari veritatem de quo forsan alio loco occasio dabitur, breuiter tantum de iuramenti religione dicere, et quaestionem nondum omnibus numeris absolutam, vtrum nempe donatio inter coniuges facta, iuramento accedente efficaciam consequatur, proponere licebit.

## §. III.

Non deficiunt, qui sententiam affirmatiuam defendunt, et iuramento effectum tribuunt, vt actus donationis, quem alias inter coniuges inuolidum dicunt, efficaciam consequatur. Fundamentum ita sentiendi illis suppeditat religio et Sanctitas iuris iurandi, quod numinis diuini obtestationem denotat, qua ex causa teste *Cicerone lib. 3. de officiis* maiores nullum vinculum religione iuris iurandi maius esse voluerunt, et periurii a censoribus notari solebant. Quodsi itaque marito, qui donationem coniugi factam iuramentoque corroboratam, ab eadem recedere et fidem datam frangere liceret, occasio dabitur committendi periurium, quae tamen sententia nec regulis conscientiae, nec legibus conuenit. Cui accedere putant, quod iuramentum instar sit pacti, à quo altera pars altera inuita discedere nequit: hinc dicit *Paulus l. 26. pr. ff. de iure iur.* *Qui iurasse dicitur, nihil refert, cuius sexus aetatisue sit, omni enim modo custodiri debet iusiurandum aduersus eum, qui contentus eo, cum deferret, fuit.* Qua ex causa etiam iuramento si



causa dubia obuersatur utimur, et illud ad detegendam  
veritatem adhibemus.

§. IV.

Sed quamuis religionem iurisiurandi impugnare  
nunquam audeam, nondum tamen ad stipulor senten-  
tiae, quod iuramentum cuiuslibet actui adiectum eam praef-  
cet efficaciam, ut actus valorem, quem antea non ha-  
bebat, eo ipso consequatur. Iuramentum enim, quod  
promissioni adiicimus, praesupponit negotium princi-  
pale, et tanquam accessorium consideratur. Exinde li-  
quido apparet, iuramenti effectum in eo consistere, ut  
actum per se validum reddat validiorem, et maius ipsi  
obligandi vinculum conciliet, actioni vero super qua  
interponitur nihil addat, neque obligationem augeat  
vel extendat. Probat hanc sententiam Imperator l. 16.  
*C. de non numer. pecun. Indubitati*, ait, *iuris est, non nu-*  
*meratae pecuniae exceptionem locum habere et in talibus*  
*nomnibus vel foeneratiis, vel aliis cautionibus, quae etiam*  
*sacramenti habent mentionem.*

*Quae enim differentia*  
*est in huiusmodi exceptione, siue iurandum positum est,*  
*siue non, tam in foeneratiis cautionibus, quam in aliis in-*  
*strumentis, quae talem exceptionem recipiunt.*

§. V.

Cui accedit, quod omne iuramentum, cum reli-  
giosam inuocationem nominis diuini contineat, iusti-  
tiam praesupponat, qua deficiente efficaciam et auto-  
ritatem nunquam habet nec habere potest, qua pro-  
pter



pter veteres pariter, quam recentiores Icti' circa iuramentum, veritatem, vt non occurrat dolus, iudicium- vt personae, quae iurant discreto polleant animi iudicio, et iustitiam, ne actus super quo verba religiosa proferantur, sit prohibitus, desiderant, quae requisita comites iurisiurandi vocare solent. Occasionem huius denominationis suppeditat Pontifex c. 2. C. XXII. Qy. II. Animaduertendum est, quod iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iustitiam et iudicium, si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium. Non equidem diffiteor, Pontificem vera dixisse in enarandis his requisitis, sed si crediderit, hos comites esse solius iuramenti, vehementer errauit. Potius sunt requisita, quae ad omnia negotia, quae in hac vniuersitate celebramus, pertinent. Cum enim quilibet, quem leges ad obsequium obstringunt, regulas iustitiae obseruare et ex bona fide agere debeat, omni dubio caret, ea quae circa iuramentum, vt valeat requirantur ab aliis actionibus nunquam esse aliena.

## §. VI.

Haec itaque negotia, quae legibus prohibentur, iuramento accedente valorem minime consequuntur, sunt enim legibus prohibita. Non vero hic solummodo respicimus voluntatem diuinam, sed etiam humanam, cum subditus actiones secundum regulam a superiore latam, dirigere, eidemque obtemperare teneatur. Quod enim Principi placet, efficit legem, nec subdito de iustitia quaestionem mouere licet, cum  
inter



inter ius interpositum et aequitatem personae Maiestaticae tantum competat cognitio *l. 1. C. de legib.* Non enim dubium est, in legem committere eum, qui verba legis complexus, contra legis nititur voluntatem, nec poenas legibus insertas euitabit, qui se contra iuris sententiam saeva praerogativa verborum fraudulenter excusat, secundum itaque hanc regulam, qua factum lege prohibente non seruetur, certum est, nec stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, nec Sacramentum admitti *l. 5. pr. et §. 1. C. de legibus*: et quotiescunque pactum a iure communi, i. e. a legibus naturalibus pariter ac ciuilibus remotum, est seruari hoc non oportet, nec legari nec iusiurandum de hoc adactum nequis agat, seruandum Marcellus sua decisione *l. 7. §. 16. de ff. de pact. confirmat.*

## §. VII.

Quae cum ita sint comparata, et ex legibus abinde appareat, iuramentum a quo legibus improbato accedens, nullius esse momenti, nec inuocationem religiosam qua abutitur is, qui hoc in casu, eadem vitur, effectum producere, decisio causae praesentis ex eo solummodo dependet, vtrum donatio inter coniuges ad actum prohibitum sit referenda nec ne, quod facili negotio probari potest. Euoluamus hac de causa Vlpianum *l. 1. ff. donat. inter vir. et. vxor. Moribus*, inquit, *apud nos receptum est, ne inter virum et vxorem donationes valeant, addita ratione, ne mutuo amore*


amore inuicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate, et l. 3. pr. Maiores nostri inter virum et uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum, solis animis aestimantes, famae etiam coniunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur, neue melior in paupertatem incidere, deterior ditor fieret: Ex vtraque lege itaque satis abunde apparet, eiusmodi donationes ipso iure esse nullas, quod maiorem auctoritatem consequitur ex rescripto Imperator: Diocletiani et Maximiani l. 18. C. b. r. Secundum quod nequidem traditio accedens, per quam alias adquirimus dominium, effectum producit *Amarito* dicitur, in uxorem donatione collata matrimonii tempore nec initio dominum transferri potest, nec post se diuortium intercesserit. Respicitur hac in parte Imperatores ad tritissimam regulam iuris: Quod ab initio est vitiosum, ex post facto non potest conualescere. Quae regula cum ad omnia negotia, nisi lex exceptionem suppeditet, applicari, queat, iuramentum quod accedit donationi ab initio imperfectae et legum auctoritate improbatæ, eidem effectum vt valeat, tribuere nequit, accessorium enim sequitur principale, et eo corridente simul corrui.

## §. VIII.

Obstare huic sententiae videtur *Cap. 28. X. de in-  
reirand.* et *cap. 2. de Pactis in oto* in quo vltimo capite Pontifex disponit, quod pactum patri factum a filia dum nuptui tradebatur, vt dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, quamuis hoc impro-

B

bet



bet lex ciuillis, tamen si iuramento, non vi nec dolo praestito firmatum fuerit, ab eadem omnino seruari debeat, addita ratione, cum non vergat in aeternae Salutis dispendium nec redundet in alterius detrimentum, ex quo capite pariter argumento *c. 28. X. de pactis*, illi qui Pontifici hac in causa fauent, regulam sibi fingunt; Omne iuramentum seruandum esse, quod absque dispendio vitae aeternae seruari potest. Conf. *Seraphin. de Seraphin de priuil. iuram. priu. 71. no. 3. Mysinger Cent. 2. Obs. 33. Gail. lib. 2. Obs. 40. Berlich P. II. Concl. XV. no. 24.* et cum existiment in materia iuramentorum ius Canonicum praefendum esse iuri ciuili, leges Romanas hac de causa disponentes tollendas esse, summa cum auctoritate defendunt, Conf. *Carpzow P. II. C. XII. def. 14. Stryk in usu moderno ad h. l. §. 18. Rittershus. differ. iur. ciu. et can. lib. III. c. 3. lib. V. c. 10.* Aucta fuit haec doctrina potissimum per constitutionem Friderici I. quae in auth. sacramenta puberum C. si aduersus vend. deprehenditur. Cum enim tunc temporis inter Martinum et Bulgarum magna intercederet controuersia vtrum contractus minorum inualidi addito iuramento valorem consequerentur, Bulgarus, qui strictum ius defendebat, pro se allegabat leg. 1. C. si aduers. vend. et sententiam negatiuam sub cognitione Caesaris defendebat, ast Martinus, acquiratem stricto iuri praefendam et secundum ius Canonicum potius negotio inualido, ob vim iuramenti robur tribuendum esse censebat, praesertim, cum haec quaestio conscientiam tangeret, quam sententiam Imperator in cit. authentica confirmauit, et ita ius Canonicum, cuius tunc ingens iam erat auctoritates iuri ciuili praefendum esse censuit.

§. IX.

## §. IX.

Sed quamvis in dubium haud vocare velim, extarre casus, vbi Pontifex circa praestationem et effectum iuramenti a, principiis iuris ciuilibus recedit, quae sententia cum sit recepta ius ciuile tollit; vehementer tamen dubito, quod illud de donatione inter virum et vxorem sit adfirmandum. Constat nempe Gregorium IX. qui post Innocentii III. tempora sedem Romanam tenuit, hunc actum donationis inter coniuges penitus interdixisse, quod testatur *cap. 8. X. de donation. int. vir. et vxor.* Donatio, ait, quae constante matrimonio inter coniuges dicitur esse facta ex quo alter locupletior et pauperior alter efficitur, firmitatem non habet; nisi donatio obitu confirmetur. Dum itaque Gregorius IX. in decidenda hac quaestione sequutus fuerit principia iuris Romani illudque sua sententia confirmauerit, non credibile est, eundem rescriptum Innocentii III. *c. 28. X. de iureiur.* negligere, et ab eodem in re iam decisa recedere voluisse. Potiori itaque iure affirmamus, Pontificem in *c. 8. X. de iureiur.* pariter ac in *cap. 2. de Pact. in 6to* de speciali casu differuisse nec regulam generalem dedisse. In priori enim tantum de alienatione rerum dotalium et in posteriori de pacto renunciatio a filia facta agitur. Cum itaque lex specialis, quae exceptionem a regula suppeditat nunquam extensionem admittat, sed secundum principia artis hermenevticae restrictionem desideret, quod enim contra rationem iuris receptum est, *l. 14. ff. de legib.* non est producendum ad consequentiam, inique egisse Seraphinum de Seraphin. de priuileg. iuram. princil. 71. n. 3. seqq. et alios censeo, quod ab alienatione rerum dotalium iuramento confirmata ad do-










ULB Halle  
005 377 420

3







E. 25. num. 39.

~~1779~~ 58

27

*P. 396.*

# EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

## VTRVM DONATIO INTER VIRVM ET VXOREM FACTA IVRA- MENTO ACCEDENTE SIT VALIDA

CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

### D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLESIAE CATHEDR. MERSEB. CAPITVL CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE NEC NON FACVLTV. IVRID.

SENIORE ET ACADEM. DECENVIR.

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXVI. APR. MDCCLXXVII.

PVBlice DEFENDET

### IOANNES GOTTLIEB ZIMMERMANN

NOSSENA MISN.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

